GUILELMUS DE SANCTO THEODORICO. BONAVENTURA

Stams, Ende 13. Jh. Seite 58r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31241
Copyright: <a href="https://creativecommons.org/licenses/by/4.0/deed.de" target="_blank">CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"></a>  Kontakt:<a href="https://www.stiftstams.at/" target="_blank"> Stift Stams</a>   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

languentes et leprosos omnes qui
ibi manebant, quamdiu in illis lo-
cis esset, abundanter refici iussit;
sed et aliis pauperibus largas et
congruas personis elemosinas, sive
in cibis sive in vestibus, eorum ministerio
donari instituit. Et illis quidem
tantum in domo sua voluit esse
dominium, ut potestative pincernis
et pistoribus et cocis et ceteris minis-
terialibus que vellent iuberent,
que placeret tollerent; nec esset
qui prohibere auderet vel referre
ad comitem, si in aliquo prodigi vi-
derentur. Hii duo quos prediximus ti-
mentes deum et comiti placere
volentes et deo, nec magnificen-
tiam principis minuebant, qui ca-
ritatis plenitudine de suis in-
pleri preceperat; nec deo ingra-
ti esse volebant, si invenirentur
desides et avari, nisi eos promp-
tos et expeditos dispensatores
esse tam voluntas dei quam prin-
cipis sufficiens bonitas iniun-
xisset. Erat preterea horum offitio
deputatum, ut monachis et re-
ligiosis viris quos ad curiam
diversa mittebant negotia hos-
pitia providerent, et de pecunia et
horreo comitis necessaria minis-
trarent. Circumferebant etiam ri-
gente bruma aptata sarcinis
pauperum indumenta et pelles et
birros et calciamenta, in quibus
nec absungia deerat, que pru-
cos in digis erogabant. Nullum
in comitatu illo clementie deerat
opus. Ad portum illum naufragi om-
nes tutum habebant refugium tem-
poribus famis. Non sicut pharao
frumenta vendidit populo, nec
in servitutem sub erogatis annonis
subiecit egyptum, sed abbate suo
quasi altero ioseph divisore usus
et consiliario gratis egenis aperuit
horrea; nec exhausit pecunia
populum, nec alibi coacervavit afflic-
tos; non re publica ad se translata
privatos in terra cumulavit the-
sauros, sed in celo potius the-
saurizans infatigabilis distri-
butor cum magna alacritate et
pecunias distribuit et annonas.